

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nec minus mihi quam tibi patri filiorum tuorum dignitatem & salutem, curæ esse debere, iudicabo. Tantum oro, ut ad Calendas vel Nonas Maji mihi adsit, & sua pietate, doctrina, suavitate & fide in hisce curis & laboribus me sublevet & cofoletur. Bene & feliciter vale. Græciæ in Stiria, die Conceptionis Filii DEI in alvo Mariæ virginis, 25. Martii, qua & passus est pro nobis Servator noster, & primi parentes conditi esse ante annos 5536, scribuntur.

David Chytræus.



CLXII.

S. D. Reverendi & doctissimi Viri, fratres carissimi.

ET si doleo, eas conversiones in vestra Ecclesia & schola incidisse, ut vobis alio in loco potius quam in patria, ingenii & doctrinæ vestræ fructus Ecclesiæ & discipulorum studii consecrare libeat: tamen mirandam DEI providentiam & consilia in gubernatione Ecclesiæ simul considero, qui saturis isthic & fastidientibus manna cæleste plerisque gubernatoribus & aliis, fortasse in his etiam regionibus ardentissime esurientes & sitientes veram doctrinam, saturare piis & salutaribus Doctoribus decrevit. De statu præsentis loci copiosius ad patrem scripsi. Quare etiam si hic toto vitæ tempore commorari non voletis, tamen, dum cælibes estis, hanc quoque Germaniæ partem, & Ecclesiarum ac Rerum publ. in ea statum coram videre & considerare vos, & docendo aliquantisper de aliis benemereri, non pœnitebit. Præsertim cum sine vestro sumptu confici ista possint. Petis autem tu, L. Erasme, si docendi munus vobis contingere posse sperem, ut fratrem Philippum prius vocatum in has regiones venire sinam, antequam ego discedam. Spero autem, si DEUS vitam mihi prorogabit usque ad Cal. vel Idus Maji, me vel hic Græciæ, vel certè Viennæ commoraturum esse. Optatim igitur quamprimum te, L. Philippe, frater & compater carissime, iter ingredi, & Ulmæ vel Ratisponæ Danubio insidentem, Viennam descendere, ut ad Calendas vel Nonas Maji, Græciæ, quæ 26. mill. Vienna abest, mihi præsto sis & tenuia hæc initia scholæ, ingenio, doctrina, dexteritate, fide & assiduitate tua ornare & provehere incipias. Stipendium primo anno erunt aurei ducenti, libera mensa & habitatio in schola splendidissime ædificata: Mensam seu victum solum alioquin vix 50. aureis vel Joachimicis haberes. De fratre Erasmo coram statuemus. Bene vale, & tolle moras, semper nocuit differre paratis. *ἀντος ἔμ-
βουλαμθα ἕρρον, ὅτι Θεὸς ἐξήκουσεν.* Datum 25. Martii, quo Servator noster Jesus Chris-

999

ftus

stus olim conceptus & victima factus, & Adam ac Eva ante 536. annos conditi esse putantur.

Has literas per pegafarios cursores Augustam ad Joh. Baptistam Henzelium mitte.

David Chytræus.

CLXIII.

S Ad tuas, easque binas, nihil respondeo, eò quod tuum expecto adventum, idque magno cum desiderio. Cæterum ne me forte domo absente Basileam venias, significare libuit septima Dominicam Quasimodo sequente usque ad Dominicam Misericordia, in Marchionatu duas celebraturum Synodos, & alia quædam expediturum, Domino volente. Ab eò autem tempore non amplius ad menses aliquot quoquam peregrinaturum. Rogabo interea Dominum, ut profectioem tuam dirigat & secundet, quo te liceat hospitem multo gratissimum excipere, colloquio sancto refici. Bene vale cum uxore, filiis, totaque familia & sacro presbyterio, quibus salutem dicas amanter & reverenter. Scribere filiis non potui, ob celerem nuncii abitum. Scripsi Basil. 6. April. anno 74.

R. d. r. totus

Sulcerus.

CLXIV.

Salutem in Christo. Reverendissime & clarissime vir.

Literas tuas avidè expectavi, & libentissimè legi: ac quòd initio excusas, quòd non communi consilio & consultatione, ad petitiones nostras, de proximo nostro scripto respondistis, oprarim omninò id in posterum fieri posse. Nihil enim nobis optatius est, quàm audire Dominum nobis per fratres loquentem; ejusmodi commonefactiones reverenter amplectimur. Noltri tumultuari, & nos quantum possunt, deformare pergunt. Tria enim brevi tempore scripta ediderunt contra nos. Primum fuit inquietissimi hominis, Irenæi, quòd ad me nominatim instituit. In quo, præter scurriles debacchationes, calumniæ penè infinitæ sunt. Secundum est nova Confessio DD. Comitum, Volradi & Caroli, fratrum, in quo atrocissime accusamur. Sed non sine gravissimis calumniis. Tertium est Spangbergii, in quo conatur evince-

pe, nos